

**05**

**A**

**1920**





ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ PHYSICA,  
*Qua*  
VANITAS  
PULVERIS SYM-  
PATHETICI,

*ut vulgò vocant,  
ostenditur,*

*&*  
Vis ejus curandi vulnera naturalis  
rejicitur,

*Aliquot Disputationibus absolvenda.*

**DISPUTATIO PRIMA,**

*Publica Physicorum censura exponenda*

*à*

PRÆSIDE

M. THEODORO KIRCH-  
MAJERO, Facult. Philos. Adjunct.

*&*

RESPONDENTE

JOHANNNE BÜNGERO,

Calbâ - Saxone,

*Ad d. 15. Jun. Cl. 15c LXXII. Hor. MAT.*

*In Auditorio Majori.*

---

WITTEBERGÆ, Literis WENDIANIS excud. DANIEL Schmaß/ Acad. Typ.

FLORENTISSIMÆ REIPUBL. PATRIÆ  
Quæ CALBÆ - SAXONUM est  
PATRIBUS CONSCRIPTIS  
**CONSULIBUS,**  
**SYNDICO, CAME-**  
**RARIIS, AC RELIQUIS SENA-**  
**TORIÆ DIGNITATIS LONGE**  
**LECTISSIMIS,**

*VIRIS*  
*AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS*  
*AC PRUDENTISSIMIS,*  
Ut &  
Ejusdem,

**VENERANDI MINISTERII**  
**MINISTRIS,**

*VIRIS*  
*PLUR. REVERENDIS, AMPLISSIMIS*  
*AC CLARISSIMIS,*

*DNN. Evergetis, Patronis ac Promotoribus, debito observantiæ*  
*studio jure patria pietatis jugè colendis, suspiciendis,*

Arrham hanc grati animi

ad Aram Μνημοσύνης

in Fano Honoris ἀνατίθεται

Devinctiss. Clientis

Johannes Bünger/Respa



05 A 1920



B. C. D.

## Præfatiuncula.

**P**refert titulus Pulverem Sympatheticum. Hunc multi  
adhibent in vulnerum curatione, eventu sæpè non infelici.  
Fundamentum situm putant in Naturâ, in Sympatbiâ. At  
Physico si ullibi, hîc certè cauto opus, ne temerè credendo nimis,  
temerè labatur. Nos circumspiciemus omnia, & ut exactius  
ferri possit iudicium, necessaria quædam præmittemus.

## SECTIO PRIOR

Παροικευσμένη.

### QVÆSTIO I.

*Unde ortum suum trahat Pulvis Sympatheticus?*

Resp.

**O**Edipò divinatoris opus. De primo inventore hætenus non con-  
stitit; sicut nec de loco, ubi inventus. Valeant hîc conjecturæ &  
verba abeuntia in auram. Illud novimus pro certò, quod secretum  
hoc in Oriente edoctus quidam monachus ad Europæos propagave-  
rit. Quâ factum id occasione sit, sequentia aperiunt. Erat hic  
monachus, ordinis Carmelitarum, qui cum Persiâ Indiâq; peragrata  
rediisset Florentiam, plurimos ibi saucios tali *medicamine* sanavit,  
non sine summâ omnium admiratione. Fama rei inauditæ (ut so-  
let) mox exiit in publicum & ad ipsum Ducem pertigit. Hic  
monachum accersit, ipsiq; desiderium sciendi artificium exponit.  
Monachus rursus se, istud, ait, in Oriente didicisse, certissimumq; esse,  
quod

A 2

quod

quod præter ipsum nemo hoc sciat in Europâ. Quare sedulo cavendum sibi, ne forte, divulgando aliis, vilescat. Facile autem fieri illud posse, si Princeps Serenissimus huic se negotio immisceret, cum procul dubio manum ipse suam ad movere operi dedignaretur: Atque ita, dum vel chirurgum vel alium quempiam fervorum substitueret, fore tandem, ut paucis diebus ars omnis dispalescat plurimis. Quò Dux prudentissimus auditò non amplius urgere illum sollicitareque voluit. Brevi autem post *Kenelmo Digbaeo* Comiti & Cancellario Angliæ commoda oblata est occasio rem longè gratisimam huic Clerico præstandi. Quod officium tam efficax fuit, ut secretum ipsi suum non denegaret monachus. Sic *Digbaeus*, illo iterum in Persidem profecto, unus erat in Europa, cognitum qui habebat arcanum hoc.

## QVÆST. II.

*Quomodo post aliis innotuerit Pulvis sympatheticus?*

Resp. Tempore quodam accidit in Angliâ, ut *Jacobus Howel*, Duci de Bouqvaingan à secretis gravissimè vulneraretur. Timebant Chirurghi, ne gangræna accederet. Adest læsus, *Digbaeus* obtestatur, ut opem ferre velit. Petit *Digbaeus* linteum quoddam maculatum sanguine, vulnusque intra sextiduum ad cicatricem perducit. Rex Angliæ tum temporis *Jacobus VI.* ad methodum hanc medendi tam celerem obstupescit ferè & quibus circumstantiis curatio peracta sit, scire ex *Digbaeo* desiderat. *Digbaeus* infit; se ad mandata quidem Majestatis Regiæ exequenda nunquam non fore paratissimum; verum submissè rogare, ut quod detecturus ipsi esset, secretò haberet. Rex ei, planè non esse, quod timeat, respondit: Neque enim ulli se commissurum opus, sed manu semper propriâ effecturum. Annuit ille & rem omnem enarrat. Rex postquam universa intellexit probè, plurima posthinc fecit experimenta, quæ singula expectationi responderunt. Interea Archiater regius, *Dominus de Majerne* unicè in hanc incumbere curam, ut quid monstri curatio ista aleret, expiscaretur. Compertò tandem, quod Rex ad eandem vitriolò uteretur, prius flagitare *Digbaeum* non destitit, quàm quicquid circumstantiarum requiratur hîc, apertè dixit. Post abiit in Galliam prædium visurus

visurus aliquod, quod haud procul à Geneva emerat. Inter eundem  
*Ducem de Mayenne* sibi benignissimum cōvenit, eiq; cuncta revelavit.  
Qui deinde aliorum experimentis & ipse multa addidit. Duce verè  
defuncto chirurgus, qui in negotio manuariam operam præstiterat,  
thesaurum istum, ut putabatur, Medicum multis magni nominis  
profapiaq; viris exposuit venalem. Res itaq; in plurium delapsa manus  
non amplius intra secreti cancellos secontinebat, sed pedetentim eli-  
minabatur foràs; ut vix hodiè invenias barbitonsorem, qui de ea non  
aliquid sciat, somniet, glorietur.

### QVÆST. III.

*Ex quanam materiâ preparetur pulvis Sympatheticus?*

Resp. Materia pulveris Sympathetici vitriolum est, viride cum-  
primis ac purissimum. Ex hoc enim unò iste conficitur, si carni tan-  
tum vulneratæ debeat mederi. Quando verò vulnere fractura ossis  
est conjuncta, vitriolo parato ob conglutinandi facultatem sub pulve-  
ris tenuioris formâ æqvabiliq; quantitate admiscet crudum gum-  
mi tragacanthum. Alii sarcocollam & reliqua gummi genera,  
nec minori addi energiâ posse credunt. Cæteri symphyti majoris  
in umbrâ exsiccati pulverem dictis omnibus anteponunt.

### QVÆST. IV.

*Quomodo preparetur Pulvis Sympatheticus?*

Resp. Sumitur arbitraria vitrioli quantitas mense Julio vel Au-  
gusto. Quæ postquam repetitis dissolutionibus in aquâ limpidâ, filtra-  
tionibus per chartam emporeticam, evaporationibus ad ignem ac  
coagulationibus in locò idoneò à fæculento magmate liberata,  
suamq; viriditatem consecuta puritate est, contunditur crassiusculè  
& aperto soli post 25. Julii, dum versatur in Leone, tamdiu exponi-  
tur; donec ad albedinem, quàm fieri potest, summam calcinetur. Hic  
verò annotat *Papinius*, aëri intra istud spacium, quò sol moratur in  
Leone, admovendum esse vitriolum tantum, cum fuerit serenus, re-  
movendumq; pluviarum ac roris tempore, ne illorum fortè affluxu

in liquorem abeat. Quamdiu autem radiis solaribus conveniat exponi, cum non una eorum sit conditio, non una quoque omnium sententia est. Nonnulli spacium horarum 360. (quæ dies 15. constituent) non sine mysterio observari autumant debere. Alii dies volunt plures. Speciosius cæteri perfectionem vitrioli non quantitate temporis, sed calcinationis ratione metiuntur.

#### QVÆST. V.

*Ubi Pulvis Sympath. preparatus asservandus sit ?*

Resp. Vitriolum diligenti ope præparatum (*loquor ex hypothesis*) usui post reponendum in loco temperiei siccioris est, ne excrementitiis humiditatibus recuperatis pristinam formam nanciscatur. Alioquin non levis virtutum sequeretur imminutio. Quoties tamen negligentius asservatum humiditate nimia recruduerit, vel etiam liquerit, mediocri calore ad pristinum statum reducendum est, antequam in usum veniat.

#### QVÆST. VI.

*Annon etiam Vitriolum non - paratum & cuiusmodi prostat venale, ad vulnera sananda faciat ?*

Resp. *Papinius* negat, alii asserunt. Ad me quod attinet, *inquit Digbeus*, effectus vidi æquè admirabiles à vitriolo, cujus libra una octodecim denariis venditur, produci, ac pulvis, qui magnis sumptibus hodiè præparatur, edere solet; attamen modernam hujus rei praxin haud improbo: quin potius, quandoquidem ratione eadem nititur plurimum approbo. *Primo* enim videtur purissimum ac optimum vitriolum optimos quoque debere producere effectus. *Secundo* moderatam calcinationem, qualis est, quæ à radiis solaribus perficitur, omnem superfluum vitrioli humiditatem, quæ aliàs vires ejusd. valdè obtundit, absorbere. Quin imò etiam tantum abesse puto, ut hac calcinatione bonitati vitrioli aliquid decedat; ut potius eâ perficiatur, perinde ac si quis jus clarum & tenue eo usque coqui curaret,

ut



ut deniq; congelatum aut consummatum fieret, tunc ad nutritio-  
nem partium illud aptius multò redderet. Videtur insuper *tertio*  
quando vitriolum soli, ut ab ejusd. radiis calcinetur, exponitur, spi-  
ritus vitriolicos magis adhuc volatiles reddi, ut postea facilius à so-  
le, quoties opus illis habet, in aërem diffundantur &c. *Quarto*, hi  
radii solares unum cum vitriolo corpus constituentes majorem &  
præstantiorem adhuc ipsi virtutem, quàm antea obtinuerat, commu-  
nicare conciliareq; possunt; æquè ac oculis cernimus antimonium  
in sole calcinatum, vim venenatam, quâ prius constiterat, in sum-  
mum medicamentum & balsamum egregium transmutare & præ-  
stantissimi corroborantis naturam induere. *Hactenus ille.* Quicquid  
hujus sit, certum habeo ex *ἀποψία* pronunciare, vitriolò etiam cru-  
dò ac minus præparatò æquè facilè, æquè feliciter vulnera curata esse.

### QVÆST. VII.

*Quomodo pulvis Sympatheticus sit applicandus?*

Resp. Geminus est modus. *Prior sic peragitur.* Vulneribus  
recentibus ac è quibus adhuc manat sanguis (sive sclopetò, sive ferro  
illata sint) immittitur linteam mundum, idèq; vel ex lino, vel can-  
nabe confectum, aut panni genus quodcunq;. Post extrahitur vi-  
cissim, pulvereq; dicto mediocriter inspergitur. Quò factò, alio o-  
pus linteò est, quò prius involvatur & locò reponatur temperato,  
eoq; vel proximo, vel à patiente remoto. Sin vulnus inveteraverit  
jamjam & degeneraverit in ulcus, denuò est refricandum, materiaq;  
inde fluens eadem prorsus ratione committenda linteò, inspergen-  
da pulvere & asservanda diligenter. Vulnus autem aquâ vel vinò  
tepidò prius ablutum linteò minus fordido obtegendum est, lin-  
teumq; ejusm. aliud alternis diebus aut sæpius, prout manantis for-  
ditiei copia requirere videtur, pro inquinatò mutandum. Sordida  
verò simul coasservanda sunt in loco pariter mediæ temperaturæ.  
Non est tamen, quod pulvere subinde inspergantur, aut vulnus ab-  
luatur plusquam semel. *Posterior modus* qui sit, ex *Digheo* inno-  
scit. Ille enim de se pulverem hunc in curatione *Hovelii* adhibente  
ita loquitur: *Pollubrum aquâ plenum, veluti manus lavaturo mihi ap-  
portent, jubeo; unaq; pugillum pulveris vitrioli, quem in museo in prom-  
tu ha-*

tu habebam, accipio, eumq; in aqua actutum dissolvo. Dein periscelidem  
 cruentam, ut primum allata fuerat, in pollubrum injicio, semper studiosè  
 observans, quomodo interea Dn. Howel se gerat. Colloquebatur cuidam  
 nobili in quòdam cubiculi angulò, parum advertens, quid rei ego molirer.  
 Et ecce? subito præ latitiâ exiliebat, edebatq; actionem ac si magnâ per sen-  
 tiret cõmotiõnẽ. Causam hujus rei inquirenti respondet, se quidẽ nescire,  
 quid ipsi acciderit; nihilominus tamẽ sentire, quod nullò amplius dolore  
 afficiatur. Videtur mihi (pergebat ille) ac si frigida aura instar lintei s. ma-  
 pella frigide ac humida supra manum meã se expandat, omniẽ tollens in-  
 flammationem, quæ antea mirum quantum me excruciaverat. Exi-  
 tus autem talis fuit; quod nimirum periscelidem ex aquã extraxerim,  
 eamq; ad luculentum ignem exsiccaverim; Eã vix probò exsiccatã (ad  
 quod perficiendum opus erat, ut benè calefieret.) en! famulus Howelii  
 adest, mihiq; narrat, non diu esse, quod Dominus tam acerbo afficiatur  
 dolore, quàm senserit unquam hætenus, idq; cum tanto caloris excessu,  
 ac si manus ejus ardentibus prunis obtegerentur. Ipsi respondebam, li-  
 cet hoc ei malum nunc acciderit, fore tamen, ut brevi temporis spatio  
 optimã valetudine uteretur. Eòdemq; momento periscelidem denuò in  
 aquam immergo. Quò factò, etiam si vix duos abbinè passus distabant  
 ades, Dominum tamen sine dolore & benè habentem invenerat &c.  
 Hoc de vulnere simplici Digbau & modo applicandi alterò pulve-  
 verem sympatheticum. Quod si autem contingat, ut vulnus ossium  
 fracturæ complicetur, fragmenta educenda foras sunt, quæcunq;  
 periosteo (tunica illa vel membrana, quæ singulis ossibus adhæret  
 proximè.) nudata erunt. Sin fractura æqualis & caulis in morem fa-  
 cta, ut in speciebus, quæ dicuntur *καυληδὼν* & *ραφανηδὼν*; vel fra-  
 cti ossis particulæ periosteo adhuc contineantur, hypodesmides vel  
 subfasciationes & assulas pro more applicant extrinsecus, adscito  
 in auxilium pulvere sympathetico composito, qui parili planè mo-  
 dò, quò simplex adhibetur. Immò non tantum linteis potest hic  
 pulvis applicari; verum etiam gladio, teste eòd. sub orationis finem,  
 qui hominem sauciavit: modò gladius ad ignem non nimis calefa-  
 ctus fuerit. Aliàs enim omnes sanguinis spiritus exhalarent: quò  
 factò ensis ad hanc sanationem perficiendam prorsus ineptus red-  
 deretur.

QVÆST. VIII.

*An Pulvis Sympatbeticus omnibus promiscuè vulneribus  
utiliter applicari possit?*

Resp. Sunt, qui excipiunt vulnera lethalia; itemq; quæ nervos, arterias similiaq; læsa inferunt. Sed aliter *Papinius*. Hic enim non tantum simplicia ac levia vulnera intelligit, quæ sola ferè natura levi Chirurghi ope ad sanitatem reducit; sed etiam ista, quæ Medicinæ proceres lethalia decreverunt. Quis non illum deridebit (*verba ejus sunt.*) qui vulgari methodo pericardii, tenuiorum intestinorum, vesicæ & similiarum partium vulnere affectarum redintegrationem polliceatur? Lethalia etiam dicti pulveris opera sæpius curata, ocularem testem me prodo, idemq; ab indubiæ fidei viris accepisse testor. Testem te voco, oculatissime *Chassenæ*, qui ejusm. stupenda toties observasti: Teq; pl. experte *Carmæ*, à quo tota fermè Græcia reportatam in Chirurgicis palmã fatetur, condonat, gratulatur. Quoties namq; observasti, quæ Galenica remedia non curant, ejusm. pulverem sanitati restituere? Quæ verò ipse persanare nequit, incurabilia permanere.

QVÆST. IX.

*Ad quamnam distantiam se extendat virtus Pulveris  
Sympatbet. in curatione vulnerum?*

Resp. Mitiores qui videri volunt, & ab irrisione sibi timent, distantiam ponunt mediocrem. Norunt enim ex reliquâ Natura, quod res per effluvia non agant in immensum. Cæteri dissentiunt, incongrueq; putant, atomos etiam in infinitum posse extendi, posse dividi. *Erycius Mobyus* cap. VI. Pulv. Symp: spatium, per quod emanat actio sympathetica multò majus esse spherâ aliorum agentium sublunarium, & ad 1000. milliaria propagari asserit. Hanc in rem conferre svidet Astronomos, perpendere intervallum à centro mundi ad ultima usq; sidera, quorum virtutes tamen ad terram pertingant. *Pertinaciam hic tuam* inquit, *non opinionem meam argue, cur hæc te movent, ista minime? Velfatius es, qui ista credis, vel con-*

B

*cumax*

*sumax, qui hæc negas. Ita fit, ut ea, quæ sæpius audivimus, nequaquam  
animadvertamus, inauditis, licet ratione nitentibus, percellamur.  
Cum hoc fere congruit Papinius, nisi quod energiam hebescere  
nonnihil dicat, si in loco nimis distito à patiente, pluribus videlicet  
milliaribus asservetur pannus sanguine & pulvere aspersus. Vel-  
lem convenirent inter se sympathici Doctores, ne tot dubiis respon-  
sis imponere lectori haberem necesse! Sed ad cætera progredien-  
dum.*

## SECTIO POSTERIOR

*ἀιπολογική.*

QVÆST. I.

*An Curatio hæc vulnerum ex causis fluat  
naturalibus?*

Resp. Hoc qui asserunt, sunt perquam multi. Transeant cæteri.  
Eos operæ precium sit citare, qui mentem suam publicam fecerunt  
scriptis. Præluceat *Digbæus*, Vir illustris, ingeniosus & satis curiosus,  
sed quod desideres in eò, sæpè nimis credulus. Habuit Orationem  
anno hujus seculi quinquages. nomò de pulvere Sympatheticò  
Monspelii Gallicò sermone in magnorum virorum confessu, quæ  
post à *Laurentio Strausio* Medic. D. & Archiatr. Darmstadeni in  
Latinam est transfusa lingvam. In hac videas multa, quæ probes,  
nec nulla, quæ improbes. Edidit quoq; opusculum de dicto pul-  
vere in Italia ex Cretensi bellò redux *Nicolaus Papinius*, Blæsensis,  
Medicin. D. mediocris scriptor & Digbæo inferior, anno quadrage-  
simo sexto. Nec in eandem descendere arenam veritus *Erys. Moby*  
est anno h. s. trigesimo nono, dum pulverem suum Sympatheticum,  
quò curentur vulnera sine applicatione medicamentorum ad partem  
læsam sineq; superstitione (*ita habet titulus*) publici fecit juris. Non  
novi hominis majores, ad quos provocat. Interim ipsum dices  
dignum, cujus nomen in pulvere suo scribatur. Tàm ridiculus e-  
nim, tàm vanus, tàm nullus est. Ponat affectus & judicet lector.

Non

Non tacenda verò laus, non tacenda industria est citari modo  
*Strausii*. Sentiatur nos contra quàm pulv. symp. quicquid velit; fecit  
nihilominus, ut Orationem *Digbæanam* Latino idiomate legamus,  
ut testimonia de pulvere eodem habeas in unum redacta corpus.  
Nimius tamen, quod fatendum, est *Digbæi* admirator. Nescio, an  
errarem, si huc in scenam advocarè unguenti sympathetici Patronos.  
Variet materia, objecta & causæ concordant. Exhibet *εἰς τὴν ἀντιλή-  
γην* eos conjunctim fasciculus *Enderorum* curâ editus Anno 1662.  
Norimbergæ.

QVÆST. II.

*Quomodo curatio hæc à Digbæo demonstratur ex  
Naturâ?*

Resp. Cæteris misis, adducam saltem ea, quæ maximè vide-  
buntur ad rem facere. Queritur *Digbæus* primò de illis, qui ante  
ipsum de pulvere sympathetico scripserunt, quod nervum rei non  
tetigerint & à capite ad calcem pertractârint; sed potius circa nassam  
ludentes quasdam argutias atq; otiosas subtilitates super hoc proposito  
dixisse habuerint satis. *Volunt, inquit, ut in terminis, quos nec intel-  
ligimus, neq; quid significet, scimus; æquè ac numeratâ pecuniâ acquie-  
scamus. Nobis obtrudunt, nescio quas coherencias, similitudines, sym-  
pathiam, virtutes magneticas & id genus vocabula, nec verbum qui-  
dem dicentes, quid isti termini sibi velint, quisve sit eorum sensus. Rem  
magnam se præstitisse credunt, si cuidam obiter persuadeant, rem posse  
perfici per viam naturalem, nec opus esse, ut ad inventorem quendam  
Demonem confugiamus; atq; ita nullò modò nullaq; ratione præten-  
dunt inventionem argumentorum solidorum, quibus, quomodo res fiat,  
demonstrent.* Ipse verò post suis Auditoribus promittit meliora &  
longè certiora, ut quasi manibus palpare possint, quàm ratione totum  
sanationis sympathetice negotium perficiatur. Septem ponit  
principia, s. ut loquitur, lapides fundamentarios, quibus suum æ-  
dificium superstruat. Eadem tam solida pronunciat, ut nemo sit  
futurus sic difficilis, qui approbare grave ducat. *Indulges tibi ni-  
mium in promittendo Digbæo. Dubito, an æquè feliciter id præstes.*  
Sed pergit. Præoccupare animos studet verbis. Dat simile prægran-

Principium  
I.

II.

de. Inquit: *Hæc principia similia erunt rotis machina Archimedii, cuius beneficio parvulus etiam infans ingens Hieronis Regis navigium subducere poterat, quod alias centum bouum paria, unâ cum omnibus ex regio armamentario depromtis funibus ac rudentibus vix movere, ne dicam promovere valebant. Atq; adeo opera horum principiorum fore spero, ut conclusionem inde formatam in opportunam stationem deniq; deducam. Elucescet veritas. Principia videamus. Primum est, quod omnis orbis s. sphaera aëris luce sit repleta. Lucem verò habet pro substantia materiali ac corporeâ. Hanc ex sole tanquam fonte perennanti derivat in orbem universum. Addit quoq; eam ab objectu corporum durorum & opacorum ad palmariæ pilæ modum variè hinc repercute & illinc, dum per omnes angulos à corporibus cursui ejus se opponentibus agitata, tandem defatigetur ac extingvatur penitus. Alterum principium est, quod luce dicto modo in corpus aliquod solidum incidente, illudq; percutiente, radii, qui non ulteriori progressu penetrant, sed in ejus superficie reperiuntur, particulas quasdam, seu atomos inde tollant, secumq; auferant, non aliter ac pila lusoria quandam ex muro vel pariete, contra quem propellitur, humiditatem collit, unâq; secum aufert, si gypsum, quò incrustatur paries, adhuc humidum sit; sicut revera etiam aliquid coloris nigri, quo murus tingitur, auferre secum consuevit. Et ne gratis hoc attulerit, ratione primò satagit probare. Ait: Lux, ignis hic adeo rarus & subtilis tam admirabili se diffundens celeritate & oppositum corpus perpendiculariter feriens, non potest, quin parva ibi vulnera, raritati suæ ac subtilitati respondentia, imprimat, atq; cum parva ista & à suo trunco dissecta ac separata atomi, sicut omnia, quæ ordinata hæc mundi series complectitur corpora, ex quatuor elementis composita sint, pars lucis calida humidis, viscosis ac glutinosis prædictarum atomorum particulis adheret, easq; secum per longinqua spatia deducit. Deinde ad magistram rerum omnium Experientiam sese confert. Eandem habet rationem lucis, quæ est in igne, ac quæ in sole datur. Arguit: Sicut radii igniti in linteum quoddam aut pannum humidum ad ignem positum incidentes, exinde reperiuntur & corpuscula quædam humida unâ secum auferunt, quæ inter linteum & focum quandam*  
nebu-

nebulae speciem representant: Ita etiam sol oriens terram a pluvia vel rore nocturno humectatam illuminat, & inde nebulam levat, quae pedetentim usque ad collium vertices ascendit. Multa post subjicit egregia de vento & de ejus generatione beneficio luminis solaris facta, quae ipse, partim dum transiret montem *Cenisium* profecturus in Italiam, partim ubi cum classe praefectus summus ex praelio maritimo regressus, Syriam, Judaeam, Aegyptum, Africamque totam praeterlegeret, expertus est. Sequitur *Principium tertium*; aërem undique corpusculis sive atomis plenum esse; vel potius id quod nos aërem appellamus, nil nisi mixtionem & confusio-  
nem talium atomorum esse, ubi quidem partes aëreae praedominentur. Robur huic accedit exinde, quod omnia elementa in mundo existant impura propter corporum utilitatem mistorum. Et aërem quidem variis scateri atomis, sua ut plurimum experientia confirmat. Auspicatur a catulis viperarum. Hos vidit cum antè pollicis longitudinem vix exaequarent, in magna cucurbita papyro quidem optimè circumcirca ligata, sed perforata, ut aër liberè ingredi posset, asservatos decem mensium spatio in tam prodigiosam excrevisse magnitudinem, ut res fidem superet; idque factum longè evidentius aequinoctiorum tempore. Si ex ipso quaeras, quomodo incrementum tantum sumserint? Responsum dat, ob atomos aethereas ac balsamicas, quibus aër quasi redundet, quaeque cum aëre potenter ab his viperis attractae sint, cum nullum aliunde habuerint nutrimentum. Eodem modo augeri quoque adstruit vitriolum, salpetram & nonnullas similes substantias. Progreditur ad aliud. Dicit, Parisiis cum esset, oleum Tartari se habuisse a Dn. *Ferrier* praeparatum odore rosaceo ita fragrans, ut existimaret rosarum aquam huic oleo admistam esse. Cum laudatus tamen Chymicus asseverarit, se nullum planè liquorem admiscuisse sed calcinatum tartarum in cella saltem reposuisse, ut sponte sua solveretur. Rei petit rationem iterum ex atomis rosarum, quae tum temporis florebant; cum odorem oleum amiserit, quando ornatum exuerit suum rosae. Evidentiùs evincit aërem plenum esse effluviis per aërem Londinensè. Materia, quae in vasta illa urbe focum extruunt, imprimis constat ex carbonibus fossilibus, qui ex *Newcastell & Scoria*

III.

*Scotiâ* apportantur. Hæc carbonum species plurimum salis vola-  
 tilis acerrimi in se continet, qui unâ cum fumo elevatus totum  
 se in aërem diffundit, eumq; penitus adimplet. Inde est, quod aër  
 iste non solum lectos, aulæa, vela aliaq; utensilia pulchra con-  
 spurcet atq; perdat; verumetiam incolas inflammationi & pulmo-  
 num exulcerationi reddat maximè obnoxios. Non duxi omit-  
 tendum, quod ultimo loco dedit de luna, quam omnem lucem  
 debere putat soli; eam scilicet esse frigidam & humidam, & radiis  
 suis frigidis & humidis maximè aërem impurum reddere. Me-  
 rentur propria verba adjici. *Quod si radii lunares in speculo con-*  
*cavo, vel splendidâ pelvi colligantur & in conum desinant, illicò; vi-*  
*debitis, loco, quo radii solares ita congregati urere verumq; ignem*  
*producere solent, hosce contrario planè modò valdè frigefacere &*  
*humectare: Imo etiam supra speculum substantiam quandam a-*  
*quosam, viscosam glutinosamq; relinqueret. Res vana & ridicula*  
*videri posset, lavare manus in pollubrò argenteo splendido, in quo*  
*neq; aquam neq; quicquam aliud præter reflexos Luna radios con-*  
*spicere liceret; & nihilominus tamen, si per aliquod tempus actio*  
*hæc continetur, manus planè humectate deprehendentur &c. Ne*  
 fortè verò autumes, esse impossibile, ut effluvia in aëre dispersa  
 ad maximam usq; & admirabilem distantiam extendantur & de-  
 ferantur; cùm tamen corpora, unde exierunt, nullam ut pluri-  
 mùm sensibilè diminutionè sui patiantur, statim suppeditat **PRIN-**  
**CIPIMUM QUARTUM**: *Omne corpus, etsi minime sit quantitatis*  
*in infinitum tamen dividi posse; non quidem, quod actu infinitas ha-*  
*beat partes; verùm quod possit semper in novam partem dividi ac*  
*subdividi, nec tamen ad divisionis finem perveniatur. Probat va-*  
 riis hoc modis. Agit ut Metaphysicus, quando in formale quan-  
 titatis inquirat. Hoc reputat esse divisibilitatem. Post demon-  
 stratione Geometricâ utitur. Citat proposit. 10. lib. 6. *Euclidis.*  
 Tandem exempla promit ex Naturâ. Operæ pretium est quæ-  
 dam annotare. Inquit primò: *Sumamus unicam unciam auri,*  
*quæ vix unius digitorum meorum extremitatem excedet. Bracte-*  
*arius unicam banc unciam in mille folia auri, imò longè plura, atte-*  
*nuabit. Dimidium verò tale folium s. auri bractea ad deauran-*  
*dans*



nam superficiem massæ argenti trium vel quatuor unciarum sufficiens;  
quod si postea massam banc deauratam afferamus illis, qui aurum  
& argentum nere solent, ut exinde vestium segmenta limbiq; confici-  
antur: ducant dein fila aurea tam longa & subtilia, quantum qui-  
dem fieri potest, ad capilli tenuitatem reducent; atq; ita hoc filum  
longitudine suâ octavam leuca unius partem, & quod excedit,  
adequabit, atq; in omni hac longitudine nullum reperietur vel unius  
atomi spacium in suâ superficie, quod non sit planè deauratum. Jam  
in quot quæso myriades atomorum in aurata hac linea discindi for-  
ficulâ potest? Unusquisq; tamen baud difficulter comprehendit,  
extensionem atq; divisibilitatem, quæ sit beneficio rudiorum organo-  
rum, puta marcorum, forficum &c. minimè posse comparari cum  
illâ, quam lux ipsa radiiq; solares producunt. Magis speciosa  
sunt, quæ subdit de canibus Britannicis ad multorum milliarium  
intervallum odoratu indagantibus vestigia hominis vel bestiae  
alicujus ante horas aliquot per eundem locum delatorum: De  
odore roris marini, qui ex orâ maritimâ Hispaniæ ad maximam  
distantiâ efflatur atq; penetrat: Itèq; de Vulturibus, qui quandoq;  
per ducenta vel trecenta milliaria effluviis fetidis cadaverum post  
cruentam cladem inhumatorum alleciti advolarint, dum ad ipsam  
pervenerint morticinam &c. **LOCO QUINTI PRINCIPII** V.  
est, quod corpuscula illa, quæ aërem cumulatè explent compo-  
nuntq; interdum per viam planè ab illâ, quam causse eorum univer-  
sales ipsis præscribere deberent, differentem attrahantur. Disse-  
rit occasione hujus de attractionis modis. Sex constituit. Non-  
nisi tamen de posterioribus duobus agere intendit; quorum al-  
terum vocat filtrationem, alterum innominatum relinquit & igni  
corporibusq; calidis assignat. Illius processum his verbis de-  
scribit: Immittitur lingula oblonga ex panno s. gossypio vel aliâ  
materiâ spongiosâ confecta in vas quoddam aquâ l. alio liquore  
plenum, ita quidem, ut magna lingula pars vasis labia transiens  
dependeat; quò factò statim videas aquam per panni fibras ascen-  
dere, vasisq; in marginem effusam, deniq; per lingula extremum in  
terram aut suppositum vasculum destillare. De posteriori sic: Ignis  
agens secundum naturam unâ secum aërem ipsi collateraliter adha-  
ren-

rentem deportat, eque ac aqua rivuli unâ secum ex ripulâ, quam lambit, aliquid deducit. Cum enim aër humidus sit, ignis verò siccus, fieri haud potest, quin unum alteri adhaereat, invicemq; glutinentur. His autem ita constitutis, necessarium est, ut novus ex viciniâ aër ad replendum ejus, qui ablatu per ignem fuerat, spaciū accedat, vicemq; subeat. Aliàs enim vacuum intra utrumq; daretur, à quò tamen natura maximè abhorret. Novus iste aër haud diu durat in loco, quem modò replevit: Nam ignis, qui nihil aliud, quàm continua propriarum partium emanatio est, statim eum secum in auras fert, novumq; denuò aërem attrahit: Atq; hoc modò, quamdiu ignis actionem suam continuat, constans & continuus aëris cursus producitur. Rem accommodò experimento monstrat. Vult in conclavi fieri focum ignemq; luculentum, quem illicò aërem avehere præsentem & alium per fenestras januaq; rimulas attrahere ait, & tam quidem vehementer, ut candela aëri opposita intranti per fissuras ob flammam ab eò in ceram agitata quadrantis horæ spatio fundatur, quæ aliàs in loco posita tranquillo quatuor horas luceret. Hâc fini dicit accendi aliquando ignes in cubiculis, ut homines & suppellectilia venenatis atomis infecta à contagio purgentur; quemadmodum Hippocrates remediò eòdem totam provinciam à peste liberârit. Quod asserit de igne luculento, id de calore etiam quòvis asserit. Plura in hujus rei gratiam affert exempla. Non vacat omnia exequi. Unum saltem præ cæteris notandum dabo. Inquit: *Virgo quaedam religiosa Romæ vivens vigiliis atq; jejniis assiduoq; orationis mentalis cultu tantum corpori suo calorē conciliaverat, ut tota quasi in igne esse videretur, ejusdemq; ossa planè desiccata atq; calcinata existerent. Hoc itaq; calore & igne internò aërem potenter attrahente, aër iste in virginis hujus corpore eque ac in sale Tartari facere consuevit, omnis in corpus coalescebat, cumq; omnes ibi aditus maximè paterent, unde quæ ad serosæ corporis humiditatis receptaculum, vesicam sc. delabebatur, ex quâ deinceps in formâ liquoris per urinas eum reddebat, quas incredibili copiâ profundeabat: Namq; aliquot hebdomadum spacio pluquam ducentas aquæ libras singulis 24. horis mingebat. Insigne hoc & singulare docu-*

documentū aërem per corpora calida, quæq; naturam ignis redolent,  
attrahi, invictè docet. Sed ratio habenda principiorū reliquorū  
**SEXTUM** est quod, si igne vel aliquò corpore calido aërem, & quic-  
quid huic admiscetur, attrahente, accidat, ut in illò atomi ejusd.  
cum corpore eas attrahente natura disperse reperiantur, attractio  
istiusmodi atomorum longè potentiùs fiat, ac si nō nisi diversa natura  
corpora ibi continerentur, quodq; ista atomi lubenter & spontaneò  
quasi impetu in amplexum corporis hujus ruant, firmiterq; eidem  
adhereant. Fundamentum ponit in similitudine. Per hanc si-  
militudinem quid velit intellectum explicat. Facit tres celebri-  
ores species. Alia sita est in pondere; alia in raritate & densitate;  
& alia deniq; in figura. Propter has statuit corpora sese invicem  
rapere, sese attrahere. Rem pluribus operibus Naturæ amplifi-  
cat. Brevitas sectanda. Inter alia inquit: Si manum quis combus-  
serit & igni eam aliquandiu admoveat, tūc manus adusta multum  
levaminis persentiet, dum corpuscula s. atomi flammæ ac manūs igneæ  
sese invicem attrahant atq; validiores (quales sunt atomi ignis.)  
reliquas superant. Præterea tritum consuetudine remedium est (li-  
cet maximè tædiosum, ac quod non minus fastidioso malo adhibe-  
tur.) ut qui oris graveolentiâ laborant, os apertum super latrina ori-  
ficium, quam possunt, diutissimè teneant, quò sæpius in usum revoca-  
tò, deniq; in integrum restituantur; gravissimo scilicet cloacæ fælore  
halitum oris minus fetidum ad se trahente, tandemq; penitus tollen-  
te. Quos viperæ momordit, aut hamatum scorpionis in caudâ spi-  
culum ferit, illi ictui morsuq; scorpionem aut caput viperæ contu-  
sum admovent: Quò sit, ut venenum, quod aliàs veluti per speciem  
filtrationis ad cor, ut ejus folio potiatur, procedebat, retrò eat, re-  
censq; facta vestigia repetens ad primam originem, ubi venenum ma-  
jori in copiâ residet, revertatur, atq; ita læsa prius pars à veneni  
vi & malignitate præservetur. Et paullo post: quod si evaporatis  
aquam in conclavi benè clausò, ubi nihil quod vaporem attrahat,  
deprehenditur, tunc illa per totum conclave parietibus adharebit;  
atq; prout congelascit, ibi iterum in aquam condensatur: si verò  
quòdam in conclavis angulò plenum aquâ pollubrum colloceris,  
omnem illicò vaporem conclave replentem in se derivabit, ita ut  
postea ibi nihil amplius humectatum deprehendatur. Omitto

VL

C

multa

multa. Nimijs enim est Autor & ferè moleſtus. Non poſſum ta-  
men, quin addam, vina juxta ipſum tempore, quò vineæ flore-  
ſcunt, in cellâ fervere ac deſpumare quaſi; & quando illa ex diver-  
ſis locis talibus, quæ ſub climatibus diverſis jaceant, ſint apporta-  
ta, citiùs vel tardiùs fervere, prout unaquæq; vinearum, ex qui-  
bus proveniunt, in ſolò natali citiùs vel tardiùs florere incipit:  
Cum rationi conſentaneum exiſtinet, vinum quodlibet multò  
lubentius ejus vineti ſpiritus, unde primùm producebatur, quàm  
alios attrahere. Digreditur ad nævos maternos tempore graviditatis  
ex fructibus plantarum vi Phantaſiæ foetibus impreſſos. De  
his differit, quod crescentibus iis in plantis, quotannis in homini-  
bus intumeſcât, augeantur, pruriant ac inflammentur. Cauſam mi-  
rabilis effectus putat eſſe, quod atomi fructuum, ſicut & ſubſtan-  
tiæ aliæ materiales & corporeæ in ſenſibus noſtros agant, illorumq;  
organa ingrediantur, per quæ veluti per tubos ſ. canales ad ce-  
rebrum & imaginationem deducantur. It ſingulos per ſenſus,  
ſtabiliturus dogma. Nolo omnia adſcribere. Saltem, quæ ad  
tactum ſpectant, referam. *Mittatis, inquit Mercurium in  
vaſculum ex porcellanis conſectum, aut aliud vas proprium, illumq;  
unius manûs digitis agitetis. Quodſi jam in alterâ manu annulum  
aureum geſtetis, tunc ſtatim colore albo tingetur, Mercurioq; obdu-  
cetur, etiamſi nullò modo unum alteri admoveatis. Ad hæc ſi lami-  
nam auri vel ducatum aureum claſſo ore comprimatis, & dein di-  
gitum ſaltem pedis in mercurium ingeratis, ibiq; paululum retinea-  
tis, tunc aurum in ore veſtrò albedine & Mercurio undiq; ob-  
tectum deprehendetur. Quodſi in ſuper aurum hoc ad evaporan-  
dum omnem Mercurium in ignem mittatis, hancq; operam ſæpius  
iteretis, aurum veſtrum aquè calcinatum apparebit, ac ſi illud  
hydrargyrò per amalgama junctum fuiſſet. Cum itaq; Mercurius  
frigidus totum corpus ita penetrat, non eſt, ut mirum nobis vi-  
deatur; ſubtiles fructus ex plurimis particulis igneis conſtati atomos  
longè celerius faciliusq; ibi ſe inſinuare. Et in corpore vivente,  
quale eſt corpus humanum, ſpiritus interni externos (quales hæc ſunt  
ſpiritus fructus.) plurimùm adjuvant aditumq; ad cerebrum illis  
maximè facilem reddunt. Magnus Natura architectus huma-*

num,

num corpus, admirandum Natura corporee Specimen, fabricans in  
eò spiritus internos veluti excubias disposuit, ut quicquid deprehen-  
derent, oppidò deferrent suo imperatori. b. e. imaginationi, quæ tan-  
quam magistra universam hanc familiam dirigit & gubernat: ut  
sc. homo, quæ extra regni sui limites, in magno terrarum orbe  
gererentur, rescire ac cognoscere & quod noxam ipsi afferre aptum  
natum est, fugere; utile verò sectari posset. Etenim excubie s. spi-  
ritus hi interni omnesq; organorum sensuum incolæ hæc dijudicare  
soli minimè quidem valerent. Quare etiam cogitatione seu ima-  
ginatione ab aliis objectis distracta, spiritus interni, ne quidem,  
utrum homo vinum, modò exhaustum, biberit necne; utrum vide-  
rit hominem, qui modo salutabat, eò ipso momentò, quò fixis illum  
oculis intueretur; vel etiam utrum audierit modos musicos, quos  
quis voce vel fidibus modò coram ipso cecinerit, scirent vel cognosce-  
rent. Nam spiritus interni, quicquid acquisivere, imaginationi  
regerunt; quæ nisi in contemplandis aliis objectis magis seriò occupe-  
tur, varias inde ideas atq; imagines efformat. Hæ enim atomi,  
quando ab internis spiritibus ad imaginationem è loco extraneo  
deferuntur: in eadem simile quoddam aedificium construunt, seu po-  
tius ichnographiam & exemplum corpori majori, ex quò prodeunt,  
ex asse & perfectè respondens, designant. Quando verò nostra ima-  
ginatio impræsentiarum illis hæud amplius opus habet, in locum quò-  
dam propriò horrei sui collocat & recondit, unde eos pro lubitu re-  
sumere ac repetere possit. Quod si autem objectum quoddam ima-  
ginationem maximè commoveat, eamq; plus reliquis, utpote com-  
muniter obvenientibus, premar & perturbet: suos satellites, spiritus  
sc. internos, ad consinia & alia remittit, ut omnia explorent, singu-  
laq; ad amussim referant. His præsuppositis pergit ostendere,  
quod atomi fructuum cum spiritibus in mulieribus tendant etiam  
ad uterum, quarum beneficiò signentur tenerrimi foetus ibi  
delitescentes, non signatâ matre eâ parte, in quam fructus antè  
incidit ob cutis resistentis duritiem. Veluti si tormentum (egre-  
gium simile!) pulvere nitrato solùm factum contra marmor ex-  
plo datur, pulvis tormentarius nullum aliud producit effectum, quàm  
ut marmor parumper conspurcet; ex quò tamen, si vel leviter frice-

sur, sordes iterum eluuntur; contra verò, si sclopetum in faciem homi-  
nis exoneretur, pulveris tormentarii granula cutem ejus penetrant,  
ipsiq; inbarent, atq; ibi vestigiis firmiter impressis per totum vitæ cur-  
riculum durant, caruleo suo ac nigricante colore, quem perpetuò re-  
tinent, sese instar soricis produnt: sic quoq; eodem planè modò  
fructus atomi seu granula, quæ à collo matris profecta ad ejusdem  
imaginationem, ab eaq; dimissa similem in cute infantis locum peri-  
ère, ubi resident, firmumq; figunt pedem, suntq; instar radicis, à quâ  
similis fructus atomi per aërem dispersa, tempore quò florere solent,  
attrahantur. Quod dum fit, pars cutis, in quâ resident, fermenta-  
tur, intumescit, prurit, inflammatur, immò verò nonnunquam  
disrumpitur. Si istes, quomodo res desideratæ sui effigiem  
possint infantibus imprimere? Reponit quod desideratæ rei atò-  
mi à luce elevata vadant ad cerebrum gravidæ mulieris per ca-  
nalem oculorum atq; etiam ad cor, post verò imaginationem, &  
cor embryonis similiter occupent, & sic in utroq; affectum & pas-  
sionem animi adaugeant, quæ ad tam violentum ferri queat im-  
petum, ut nisi mater re desideratâ fruatur, hæ animi turbæ utriq;  
vel ultimam ruinam vel saltem magnam in corpore alteratio-  
nem causari valeant. Multa annectit, quæ mirandas Phantasiæ  
vires testentur. Parco chartæ. Id annotare satis sit, quod cre-  
dat, posse Phantasiam matris ipsam fœtus essentiam immutare & no-  
vam formam informantem à priori diversissimam in materiam sub-  
jectam introducere. Sed nondum finis exemplorum. Tarantu-  
las nunc affert, & modum curandi ab iis læsos per Musicam. Mi-  
rè tamen hanc rem explicat: Dicit inter alia: Idem contactus,  
qui intra aërem agitatum & aquam eò ipsò similiter motam depre-  
benditur, sic quoq; in aëre agitato & spiritibus vaporosis, qui in cor-  
pore hominum à Tarentinis Phalangiis morsorum inveniuntur; quò  
spiritus consequenter motum suum aeri agitato h. e. sono illi Mu-  
sico acceptum referunt, idq; eò efficacius, quoniam hujus agitationis  
vel soni ad naturam & temperamentum vulneratorum maxima est  
proportio. Si quid verò remanet veneni, quod per sudorem in sal-  
tando nondum expulsus est, trahit juxta ipsum atomos in se novas  
& similes tarantularū, quibus denuò tarentati affliguntur. Ob quam  
cau-

causam addit, in Anglia & Gallia operā dari, ut si quis à cane mor-  
deatur, canis occidatur, ne sc. eò rabie correptò, iratæ salivæ  
fermentum, quod adhuc in corpore vulnerato residuum delite-  
scat, spiritus canis illius rabiosos ad se trahat, quò factò homo si-  
militer in rabiem ageretur. Ut catalogus completus fiat, ul-  
timò mentionem injicit *nasi illius artificialis*, qui computruit post  
paullò, eò homine defunctò, ex cujus substantia desumptus erat.  
Sympathia spirituum utrobiquè; radicatorum & per aërem hinc in-  
de delatorum allegatur ipsi causa. Hæc & alia prolixius adducit,  
ut confirmet, corpora atomos in aëre hærentes ejusdem naturæ  
longè potentiùs attrahere, quàm quæ alterius, ut dicitur, farinæ  
sunt. Tempus est, ut ad *SEPTIMUM PRINCIPIUM*  
veniamus. Hoc vult, *originem horum spirituum, s. corpus illos*  
*attrahens, unà secum illorum comites & quicquid ipsis adhaeret &*  
*agglutinatur, auferre*. Tribus rem experimentis firmat. Primò  
dicit, in Anglia, si quādo accidat, ut dum lac coqvunt, illud ni-  
mium ebulliens ex pultatiò in ignem effundatur, foeminam aut  
ancillam statim, omni opere relictò, accurrere, ut pultarium ab  
igne removeat, eòdemq; tempore manipulò salis prunam, in  
quam lac effundebatur, conspergere. Si, cur istud fiat, percon-  
teris; respondebitur, fieri hoc ad prohibendum, ne vacca, ex  
quâ emulsam lac est, ex uberum dolore laboret: Nisi enim hoc  
ageretur, illam duritiem contrahere & exulcerari; immò etiam  
vaccam sanguinem mingere, periculumq; esse, ne ex malo  
moriatur. Quomodo autem sic vaccæ noceatur, docet.  
*Lac in prunas effusum in vaporem convertitur, qui in aërem disper-*  
*gitur ac quasi filtratur, ibidemq; luci & radiis solaribus fit obvium,*  
*qui illud longinquius adhuc deportant, spheramq; ejus activitatis*  
*mirum in modum augent ac extendunt. Vapor hic lacteus neq; sim-*  
*plex est, neq; solus; verum etiam ex atomis igneis fumum s. vapo-*  
*rem hunc lactis concomitantibus componitur, quæ cum illò quòq;*  
*permiscentur & in unum coalescunt. Jam verò spherâ vaporis hu-*  
*jus ad locum usq;, in quò degit vacca, quæ lac subministravit, sese*  
*extendente, ubera vacca, quæ instar fontis & originis sunt, ex quò*  
*lac illud promanavit, vaporem hunc ad se trahunt, qui firmiter*

ibi haeret, unaq; cum illo atomi ignis, quæ huic se vapori comites  
præbuere. Utera verò pars sunt glandulosa & tenera, ac conse-  
quenter inflammationi quàm maximè obnoxia. His igitur ignis  
ea calefacit, inflammat, atq; ut cutis distendatur, efficit; unde  
postea durities illis conciliatur, quæ in abscessum degenerat &c.  
Sal in præsens huius mali remedium cedit: cum sal naturâ igni  
maximè contrarietur, quippe quæ fixa est & frigida, hic verò cali-  
dus & volatilis, ut dum unum alteri obviam procedit, sal ignem  
prosternat, præcipitet & omnes vires frangat. Hinc si fumaris  
ob fuliginem muleam, quæ sunt obducta, ignem concipiant, poten-  
tissimum remedium est, ut vel sclopetum in caminum ad fuliginem  
inde abstergendam explodatur; vel magna salis copia in ignem  
inferius extructum conjiciatur, quæ vincit & prohibet atomos  
ignis, quæ aliàs continuò adscenderent, seq; conjungerent cum su-  
perioribus camino inherentibus, quæ subducto ita alimentò con-  
sumuntur & in nihilum rediguntur. Quod dictum est de lacte  
vaccinò, contingere quoque tradit in humano. Exemplis cor-  
roborat. Ut autem attractionem, quæ ubera vaccæ igneas lactis  
adusti atomos unâ cum vapore attrahunt, magis adhuc confir-  
met, aliud de attractione similis naturæ experimentum, quod ipse  
met sæpè se vidisse scribit, recenset. Ait: Colligantur excre-  
menta canis, quoties alvum exonerat, atq; in ignem semper pro-  
jiciantur. Hòc factò, primùm quidem videbitis eum parumper  
calefactum levissimæ alterationis argumentum exhibere; Sed  
brevis elapsò tempore illum ipsum, quasi totum ejus corpus ureretur,  
linguâ protensâ, ac si longum perfecisset iter, anhelantem conspi-  
cietis. Malum autem hoc eum invadit, propterea quod intestina,  
dum excrementorum adustorum vaporem, cumq; vapore ignis  
atomos istum concomitantes attrahunt, alterentur ac inflammen-  
tur &c. Idem in patriâ suâ cum hominibus fieri sæpè asseverat.  
Verba ejus sunt: (Nolim enim meis hæc effari) In pagis, ubi totâ  
hyeme via lutulento crassoq; sædantur cæno, si quis est villicus, qui  
munditiæ reliquis magis studeat, aditusq; sue domus majori in-  
dustriâ, quàm vicini, expurget, cacule & alii hujusmodi homines,  
nocte, aut quando cælum inferenum est, adveniunt, ibiq; ventrem  
exone-



exonerant; quandoquidem in hisce pagis nulla reperiuntur cloacae,  
praterquam quod in tali loco nequam extra periculum, ne in luto,  
quod alias ultra calceos adscenderet, bareant, versantur. Interim  
mulieres haefrugi, cum mane domum aperiunt, ante januam domum  
maximè graveolens offendunt, quod omnem illis bilem movet, ut  
postea plumbeas iras gerant. Ille itaq; quae hujus artis minimè  
ignarae sunt, statim veru vel bacillum ferreum, ut ignescat, in  
ignem immittunt, ac dein ferrum illud candens in excrementa in-  
figunt & frigefactum denuò calefaciunt, eandemq; operam saepius  
repetunt. Interim nequam ille, qui locum tam foedum reddidit,  
ex intestinis acerbissimè laborat, inflammatur anus, urget insuper  
tenesmus molestissimus, vixq; his malis liberatur miser, quin gravis-  
simâ febrî totò illo die laboret; unde postmodum, ne amplius ad  
hunc hospitem divertat, studiosè cavet. Plura hujusmodi non  
addo, me lectori forte nausea creetur. Dabitis interim veniam;  
cogit ne *Digbaus* adhuc aliud adjicere. Propter pasqua latis-  
sima in Angliâ maximè pingvescunt boves, ut pingvedo, distensa  
mole, depressa in crura, imò ad pedes propendeat. Quod in  
causa est, ut apostemata in plantis pedum ipsis orientur, ex qui-  
bus multum puris & vitiosi humoris profluit, quæ gressum ani-  
malis impediunt manifestè. Contra hoc malum suppeditant  
remedium, quod observari oporteat locum, ubi bos pedem malè  
affectum figit, statimq; primò gressu, quem ex stramine surgens  
facit, terræ glebam vel cespitem extensioni incubantis pedis re-  
spondentem excindi, eumq; in arbore aut sæpè Aquiloni expo-  
situm collocari: Sic enim illicò, ac terræ gleba afflari cœperit,  
bovem intra tres aut quatuor dies perfectè sanari. Haftenus de  
singulis Principiis *Digbai*. Superest, ut videamus, quomodo  
universa applicet ad curationem vulneris Hoveliani, de quò  
antè. Ita verò insit: Primò Sol & lux per longinqua locorum  
intervalla spiritus sanguinis periscelidi inhærentes ad se trahent:  
Temperatus verò foci calor, qui leviter in compositione agit,  
harum atomorum expulsionem promovet, efficitq; , ut atomi  
dilatentur & filtrentur, atq; illo ipso magnum aëris spacium eme-  
tiantur, sicq; attractio solis & lucis manifestè adjuvetur.

Secun-


*Secundò* Spiritus vitrioli cum sanguine uniti, non possunt non idem cum atomis sanguinis iter perficere. *Tertiò* manus interim vulnerata continuò exhalat ac expirat magnum calidorum & igneorum halituū copiam, qui instar fluminis ex inflammato vulnere profluunt: Id quod fieri nullò modò potest, quin vulnus aère ambientem & proximum consequenter attrahat. *Quartò* hic aër alium maximeq; vicinum ad se trahit; atq; ita cursus quasi, seu fluxus attracti aëris circa vulnus producitur. *Quintò*, unà cum hóc aère tandem atomi spiritusq; sanguinis & vitrioli, qui operâ attractionis à sole luceq; profecti, procul per aërem dispersi fuerant, adveniunt. Quinimò fortassis etiam statim in initio orbis s. sphaera harum atomorum & spirituum ad tam insignem distantiam extendebatur, neq; ullâ aëris aut lucis interveniente attractione opus habebat. *Sextò*, hæ atomi sanguinis in primam originem ac radicem, è quâ prodierant, incidentes, ibi morantur, atq; ita primitivum repetentes cubile, proprium lectum denuò ingrediuntur: Reliquus verò aër s. peregrinus præterit, statimq; ac venit, evaporat; Sicut etiam vix à portâ in conclave attractus, per fumarium in auras fertur. *Septimò*, atomi sanguinis ubi inseparabili nexu sese spiritibus vitriolicis junxere, ambo omnibus simul fibris & venarum orificiis, quæ in vulnere ægrotantis patent, sese insinuant, vulnus confortant, idq; tandem insensibili successu restitunt. Hæc tradit Digbæus de Pulvere Sympathetico. Ita totum perfici negotium, ita omne per sanari vulnus posse existimat. Quâ veritate, nunc dispiciendum.



05 A 1920

ULB Halle  
003 784 983

3



1017







B.I.G.

Farbkarte #13

S PHYSICA,  
 ITAS  
 RIS SYM-  
 ETICI,  
*vocant,*  
*litur,*  
 vulnera naturalis  
*ur,*  
*bus absolvenda.*  
 IO PRIMA,  
*ensura exponenda*  
 SIDE  
 RO KIRCH-  
 alt. Philos. Adjunct.  
 V DENTE  
 BÜNGERO,  
 saxone,  
 C LXXII. Hor. Mat.  
 tio Majori.  
 Excud. DANIEL Schmaß/ Acad. Typ.